

dit, Livio, Silio, Appiano, Eutropio, aliisque auctoribus. Cimbri per Alpes Rhæticas xx circiter annis post Polybii aetatem in Italiam venerunt. Annis vero lxxxvi post, M. Druso Libone & L. Calpurnio Pisone Consulibus, anno urbis Romæ 1000 ccc xxxviii, ante natum Iesum xv, Augusti Cæsaris exercitus hac traductus est, teste Dione lib. 54. Et jam ante per maritimas Alpes & oppidum Herculis Monæci Iulium Cæsarem in Italiam transgressum esse, Virgilius auctor est lib. 6 Æneid. ubi Anchisen introducit ita filio Æneæ in Elysiis campis futura de Bello civili inter Pompejum ac Cæsarem prædicentem:

*Heu quantum inter se bellum, si lumina vitæ
Attigerint, quantas acies stragemque ciebunt,
Aggeribus socer Alpinis atque arce Monæci
Descendens: gener adversis instructus Eois.*

Cæterum transitus in Helvetiam per S. Gothardi montem, qui est inter Rheni Rhodanique & Ticini atque Arulæ fontes, patuit exercitibus jam inde sub Constantio Imperatore, qui se ipso vii, & Gallo iii Consulibus, anno urbis Romæ 1100 c vi, à nato Iesu 1000 lliii, apud Bilitionem castellum, quod nunc vulgo dicitur Belinzona, castra posuit, illac in Alemannos, qui tunc Helvetiam tenebant, profecturus. Ac forte jam centum ferme annis ante, eadem Alemannorum gens sub Gallieno Imperatore eadem via in Italiam ingressa est, qua de re ita Eutropius lib. 8, in dicto Gallieno: Alemanni vastatis Galliis in Italiam irruperunt.

*Itinera per
Alpes quor.*

Refert Polybius itinera olim per Alpes fuisse quatuor: Vnum per Ligures, prope mare Tyrrenum, alterum per Taurinos, quo usus fertur Hannibal, tertium per Salassos, quartum per Rhætos, quæ ipsa hodie adhuc frequentissimis comitatibus celebrantur. quibus adjici potest ea quoque, quæ à Segusterone oppido Druentia imposito, per valles Saffii & Habai fluminum, atque inde per saltum Argentarii montis, qui pars est Alpium maritimarum, vallemque Sturæ, amnis Italiae, ad Cunium oppidum deducit. At duo illa itinera ex Carnis, quorum unum ab Aquileia per Iulium Carnicum in Noricum, alterum ab eadem Aquileia per Iulias Alpes in Pannoniam ad Nauportum & Hemonomam ferebat, primus aperuit Iulius Cæsar, uti legere est apud Cluv. cap. 20, & 22.

De Apennino.

Post Alpes, quæ Italiam secundum latitudinem à Gallia Germanique separant, sequitur Apenninus, qui inter Superum & Inferum mare excurrens perpetuo ductu eandem secundum longitudinem in duo latera secat. Origo nominis incerta est. Aliis placet Apenninum dici à Pœnis, ut idem sit Apenninus, quod Alpes Pœninae, qua de re supra actum: alii ab Api, prisco duce, qui totam Italiam devicerit, derivant. Scribit Polybius oriri hunc montem paulo supra Inferum mare ab Alpibus, moxque se ma-

Italia.

gis ac magis ab illis disjungentem recto dorso in Superum mare ferri, quasi ad urbem Senam, inde rursus ad dextram se flectentem per mediam Italiam in Siculum fretum excurre. Montes Apennini, inquit Strabo, cum Arimini & Anconis loca contigerint, Iapygiæ latitudinem ab mari ad mare terminant, rursusque flexu totam regionem in longum secant usque ad Picentes & Lucanos; nec multum ab Adriatico distant sinu; quum vero Lucanis adpropinquant, ad alterum inclinantur mare; dehinc per Lucanos & Brutios tendunt, seque ad Leucopetram, agri Rhegini promontorium, terminant. Plinius lib. 3, cap. 5, Apenninus mons, inquit, Italiae amplissimus, perpetuis jugis ab Alpibus tendens ad Siculum fretum. Ptolemæus ait, Apenninum ad Anconem in latus digredi, Adriaticum mare versus, idque pene contingere; ac dein ad Garganum explicatum, hinc in meridiem conversum ad Leucopetram procurrere, Rhegioque Iulio finiri. Perpetuum sane hujus montis jugum lunata quasi figura Italiae instar dorfi est, quod elatum per mediam regionem sensim incedens, tandem in duo cornua diducitur, altero Siculum, altero Ionium mare respiciens. Lucanus lib. 2:

*Mons inter geminas medius se porrigit undas
Inferni superique maris: colleque coercent,
Hinc Tyrhena vado frangentes aquora Pisa,
Illinc Dalmaticis obnoxia fluctibus Ancon.*

Et Rutilius Itinerarii lib. 2:

*Diversas medius mons obliquatur in undas,
Qua fert atque refert Phœbus uterque diem.
Urget Dalmaticos Eoo vertice fluctus,
Cæruleaque occiduis frangit Etrusca jugis.*

Longitudo ejus tanta est, quanta ipsius Italiae. Vno enim ac perpetuo jugo, à Ligurum finibus, per omnem reliquam Italiam ad fretum usque Siculum in promontorium Leucopetram excurret. Atque hanc ejus longitudinem immensam Persius Poëta intueri voluit Satyra 1, hoc versu:

Sic costam longo subduximus Apennino.

Initium ejus variis posuerunt in locis auctores varii, sed circa Genuam urbem & fontem Trebiae amnis, qui apud Placentiam Pado miscetur, ab Alpium sine incepisse, docet Ph. Cluverius. De altitudine ejus sic poëta canunt: Silius Italicus:

*Subsident Alpes, subsidet mole nivali
Alpibus equatum tollens caput Apenninus.*

Lucanus lib. 2:

*Vmbrosis mediam qua collibus Apenninus
Erigit Italiam: nullo qua vertice tellus
Altius intumuit, propiusque accessit Olympo.*

Petronius Arbiter in Satyrico, discordiam introducens:

Hac ut Cocyti tenebras & Tartara liquit;

D

Alcæ